

Andreas Conrad Werner

**Perush shel nedarim i. e. De Votis Veterum Israelitarum Ex Antiquitate Judaica  
Explicatis Exercitatio Varia V. et N. T. Loca Illustrans Qua IV. Lectissimorum  
Juvenum Gymnasii Nostri ... A.R.S MDCCXXXVII. ... clementer annuente  
habendas ...**

Stadae: Litteris Erbrichianis, 1737

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn829366229>

Druck    Freier  Zugang





109

Fa - 1092(109)

בָּעֵד  
פָּרוֹשׁ שְׁלֵמָה נוֹרִים:  
i. e.

DE VOTIS  
VETERUM  
ISRAELITARUM  
EX  
ANTIQUITATE JUDAICA  
EXPLICATIS  
EXERCITATIO  
VARIA V. ET N. T. LOCA ILLUSTRANS  
QUA

IV. LECTISSIMORUM JUVENUM GYMNASII  
NOSTRI SUPERIORIS ORDINIS CIVIUM  
ORATIONES VOTIVAS

Die craftino hora a meridie II. A. R. S cōlōccxxxvii.

Divino Numine clementer annuente  
habendas

Decenter significat

Ac ut his terrarum nostrarum Proceres

Patres utriusque Ordinis Conscripti

Litterarum & rei Scholasticæ Mæcenates Patroni

Fautores ac Musarum cultores

Clementer benigne & benevole interesse velint ea qua par est  
observantia atque pietate rogat

M. ANDREAS CONRAD. WERNER

Gymnas. Stadensis RECTOR.

STADÆ LITTERIS ERBRICHIANIS.

6.

7.

8.

2



## Conspectus.

§ 1. Votorum existentia probatur. § 2. Quid vota? § 3. Divisio votorum, in prohibentia, & consecrantia. § 4. In licita, & non licita. § 5. Votum concipiendi formulæ. § 6. Voti objectum. § 7. Subjectum, quod votum poterat concipere. § 8. Solvi iterum poterant a votis. § 9. Impia Judæorum sententia, vota leges divinas solvere. § 10. Inde explicantur verba Matth. 15, 6. § 11. Pontificiorum vota monastica in his non inveniunt præsidium. § 12. Conclusio.

§ 1.

**N**unc fere voti nostri, quod, anno jam præterito, pro salute vestra nuncupavimus, facti sumus compotes, dum vos terrarum nostrarum Proceres, Patres U. O. Conscripsos, & Musarum, optimarumque artium Mæcenates, & amicos, mox sospites, salvos atque florentes conspicere speramus in Musarum nostrarum castris congregatos, & omnis generis bonis a supremo numine abunde cumulatos; pro quibus summis beneficiis Deo immortali, nos totos ei consecrantes, humilissimas agemus gratias. Et hoc ipsum est, quod nobis in præsenti subministravit occasionem, pauca quædam scribendi, de votis Israëlitarum, quænam illa fuerint, & quid in illis secundum legum divinarum præscriptum fuerit observandum; præsertim quia multa sanctissima oracula commode inde illustrationem petere possunt. Fuisse olim tempore veteris fœderis vota quædam, quæ divinis continebantur legibus, neminem unquam dubitatum esse confido, qui verba illa, quæ in divinis sacrarum litterarum monumentis reperiuntur (a), accurate cogitateque secum volvit in animo, & diligentissime perpendit. In his enim partim votorum sponsiones, quibus Deo obligari debeant, partim vota ipsa, quæ nunquam solvenda, sed Deo immortali sancte tribuenda, luculentissime perscripta extant.

A 2

§ 2.

(a) Levit, 27, 2, sqq. Num, 30, 3, sqq. & Deuter, 23, 21.

7.

8.

2

## § 2.

Videamus autem, priusquam digrediamur ad singula votorum momenta, vim naturamque voti in communi, ne cum referenda sint ad eam nobis omnia, labamur errore sermonis, ignoramusque vim sermonis ejus, quo jura nobis rei ipsius definienda sunt. Est itaque votum nihil aliud, quam sponsio, p̄enit promissisque interpositis facta, qua homo, ad aliquid vel faciendum, vel omitendum, ut hoc ipso divinum numen amplissimo honore, ac debita laude afficiat, Deo supremo omni obligatur religione; unde conficitur, vota Israelitarum actiones fuisse religiosas, quibus sancte promittebant, se aliquid præstituros esse, in peculiarem sanctissimi Dei cultum, atque honorem.

## § 3.

Et hæc Israelitarum vota duas specie differentes partes comple-

תuntur; una est, *ןָדוּי אִסְרָה* & altera, *ןָדוּי אִסְרָה* proprio & certo vocabulo appellantur (b) *ןָדוּי אִסְרָה* s. vota prohibentia interdictiones erant, quibus homines, proposita pena sibi ipsis interdicebant usu necessario rerum, quæ alias legibus divinis, hominumque more & institutis concedebantur. Hæc diligenter, & clarius enodata exposuit MAIMONIDES, diligentissimus ille antiquitatis legumque Judæorum investigator & scriptor politissimus (c). *Vota in duas*, inquit, *dividuntur species*, *prima est*, quando quis religione se obstringit, quo minus utatur rebus, que alias licite sunt, atque concessæ. Si exempli causa dixerit, me frugibus hujus, vel illius provinciae per XXX. dies, aut semper caritatum esse profiteor, aut hac specie ex frugibus hujus seculi, vel frugibus istis utendi me ipsum privo-potestate; tunc quacunque ratione sibi his interdixit, barum rerum usu se prohibuit, quamvis jurejurando non firmaverit. Unde scriptum legitur Num. 30, 3. adstrinxit obligatione animam suam, quia nimis rebus sibi concessis interdixit. Nec dissimilis est ratio illorum, si dixerit, hoc mihi

fit

(b) Vid. Maimonides in Jad. chasaka, in Tr. *ןָדוּי* c. I. § 1. & 2. Unde sua depromserunt Pocockius in notis ad portam Mosis, p. m. 414. Reland. in antiquit. p. 361. Schmidius in fasc. Disp. p. 71 - 80.

(c) I. c. Cap. I. § 1. Tom. 3. Jad. chasaka, fol. 14, col. 2.

fit prohibitum, aut hæc mibi minime sint permitta; & hæc sunt partes, quas ego vota prohibentia appello. Sed נָדְרֵי הַקָּרְבָּן, s. vota consecrantia, sponsiones erant, quæ siebant ab Israelitis, omni ratione se obligantibus, vel ad sacrificium, vel aliud Deo supremo gratum atque acceptum præstandum, ad quod faciendum alias non tenebantur legibus. Hæc fusius explicavit idem MAIMONIDES (d) altera, scribit: votorum pars est, quando quis voti religione se ipsum obstringit ad aliquid efficiendum, quod ex lege præstare non tenetur. Si exempli causa dixerit, obligo fidem meam, me fasturum holocaustum pacificum, aut oblationem, aut me hoc jumentum ad holocaustum, aut sacrificium pacificum præbiturum esse. Et qui dicit, en me obstinando! nuncupavit votum; qui autem dicit: en hoc illud est! votum munus sponte offerendum. Votum autem & munus sponte offerendum unius sunt ejusdemque generis, nisi quod vota obligent ad cautionem de illius præstandam, non autem spontanea. Unde hæc in sacris expressa sunt Deut. 12, 17. vota tua quæ votisti, & spontanea &c. Quæ sunt capita, quibus ego nomen: נָדְרֵי הַקָּרְבָּן s. votorum consecrantium tribuo.

## § 4.

Porro vota erant vel licita, vel non licita, quæ iterum verbis potius Maimonidis (e), quam meis explicare mihi liceat. Quemadmodum vero, ille scribit: lex præcepta nobis dedit de prohibitione ciborum, sic quoque præcepta nobis dedit de votis liciti & illiciti. Nam cum quis dicit, hic panis mibi est vetitus; vel hæc caro mibi est vetita, non licet ei eam comedere. Totum autem hoc in eum finem, ut hoc medio virtutem τῆς ἀνταργετος, vel continentiae acquirat, immoderatumque gulae sue appetitum refrænet. Hinc dicunt: נָדְרֵס שׁוֹג לְפִרְשָׁוּת vota sunt separatio separationis, b. e. vitæ sanctæ, vel abstinentiæ. Ac quandoquidem mulieres proclives admodum sunt ad iram propter affectuum suorum vehementiam, animique impotentiam, si juramenta in ipsarum effent potestate, maxime hinc in œconomia sœpe orientur incommodates, dissensiones, corruptiones, & confusiones, dum hæc ciborum species licita effet marito, vetita uxori, hæc permissa filiæ, prohibita vero matri &c. Ea de causa datum hoc jus est patrifamilias in omnibus, quæ emolumen- tum, vel detrimentum afferre possunt. Vides enim, quod illa Num. 30,

A 3

10.

7.  
8.

2

(d) I. c. cap. 1. § 1. (e) in More Nebuchim, s. Doctore perplexorum, part 3. c. 48. p. m. 497. Edition. Buxtorf.

IO. quæ est propriae potestatis, nec maritum habet, eandem, quam vir in votis faciendis potestatem habeat, h. e. illa, quæ neque maritum, neque patrem habet, & pubertatis annos attigit.

## § 5.

Variæ quoque interdictionum & stipulationum formulæ apud Israelitas de votis concipiendis erant constitutæ, quibus partim vota licita, partim non licita distinguebantur. Vota licita ad has fere dicendi formulas revocabant: fruges istæ sint mibi instar oblationis; aut en ista sint mibi tanquam קָרְבָּן oblatio; aut alter alteri dicebat, omne quod tecum possem comedere, sacrificium futurum esse spondeo (f.) Vel, קָנָן שָׁנִין נַחֲנָה i. e. Kunam s. res sacra mibi erit, quidquid utilitatis ad me posset redundare (g.) Vel: קָנָן יְמִין שָׁנִין טוּעַן חֻקְרָשׁ יְהָזֵךְ עַל יְמִין שָׁנִין טוּעַן verborum hæc est sententia: i. e. tanquam res consecrata mibi erit vinum, quod ego vellem gustare (h); aut: עַולְה וְהַזְּבָחָת שָׂאכָל גָּר edere (i) Et quæ sic verbis concepta vota deprehenduntur nuncupantem obligant, quia tali modo vovere non est prohibitum (k). Sed votorum sponsiones erant inanes atque frustraneæ, quæ hac fiebant nuncupandi formula: hæ fruges, aut hæ frugum species, aut id quod comedere possem cum altero, sit mibi instar carnis suillæ, vel vani deorum cultus, & non multo secus; quæ vota ideo non valent, quia rem, quæ non est caro suilla, talem efficere, aut constituere nemo potest (l).

## § 6.

Variæ deinde quoque res erant, quæ in votorum sponsonem cadebant, atque religionem. Alii enim a reliquis hominibus peculiari aliquo vivendi genere ex voti sanctitate eleæto, quasi segregati, non res suas, sed se ipsos divino consecrabant Numini, quos Nasiræos appellabant, cibi, potus, reliquarumque rerum discrimine a cete-

(f) Vid. Maimon, Tr. Nedarim. c. I. § 7. (g) vid. Tr. Talmud. Nedarim, fol. 89. col. 2. (h) Berachoth. fol. 51. col. 1. lin. 15. & Raschi ad h. l. (i) Talmud, Nedarim, fol. 13. col. 1. (k) vid. Maimonid. Nedarim, l. c., c. I. § 7. vid. Edzardus in Avoda Sara c. 2. p. 292. (l) vid. Maimonid. l. c. c. I. § 8.

à ceteris separatos ; quorum leges , instituta , mores , ac jura MOSES divinus scriptor fusius exposuit . (m) Alii sua capita Deo immortaliter vovebant , eo pretio , quod sacerdos pro sexus & fortunæ ratione illis imposuerat , redimenda ; quod clarius in sacrarum litterarum monumentis his verbis explicatum legimus (n). Si qui Je-hovæ vota nuncupabunt , si vovebuntur homines , tantum solvetur , quanti astimabuntur . Et maris quidem & vicenario ad sexagenarium pretium esto quinquaginta argenti sicli facii , feminæ autem triginta . Sin ætas erit a quinque annis ad viginti , pretium esto maris viginti siclorum , feminæ decem . Ab ætate autem unius mensis ad quinque annorum , pretium esto maris quinque , feminæ trium argenti siclorum . Supra sexagesimum annum pretium esto maris quindecim siclorum , feminæ decem . Quod si tenuior erit , qui voverit , quam pro pretio , sifitor ad sacerdotem , qui eum pro ejus facultate censeat ! Deinde præter vota , quibus Israelitæ seipso , & capita sua Deo supremo devo-verunt , alia adhuc usitata erant , ac per vulgata , quibus se ad res , bona , possessionesque suas hujus universi conditori ac conservatori offerendas teneri putabant . Non nunquam enim domos suas , interdum etiam agros , qui jure hereditario illis obvenerant , religiosos fecerunt , Deoque O. M. consecrarent . Harum rerum , ut id in facris relatum legimus litteris , hæc erat ratio (o) . Si quis domum suam Deo consecraverat , eam sacerdos bona fide astima-bat , ejusque estimatione erat standum ; quod si consecrator domum redimere cupiebat , soluta pecunia , & estimatae pecuniae quinta superaddita parte , domum recipiebat . Sin quosdam agrorum suorum Deo voverat , estimatione fiebat pro ratione seminis , ita ut cori hordei semen efficeret quinquaginta siclos argenti . Si statim ab anno Jubilæo consecraverat , istam observabant estimationem ; sin aliquanto post diem Jubilæum festum , sacerdos argentum ei putabat ad rationem annorum , qui supererant ad Jubilæum annum , ut de ista estimatione detraheretur . Et quando ille , qui consecraverat , agros redimere cupiebat , adjecta ad istam estimationem parte quinta , illos restitutos sibi accipiebat (p) .

Præ-

(m) Num. 6. 1. conf. Maim. זירות op. T. 3. fol. 33. col. 2. (n) Levit. 27. 2. 8. (o) Levit. c. 27. 14. 15. (p) Levit. 27. 16-25.

7.

8.

2

Præterea & hostias se immolaturos esse voti religione se obstringebant, quæ legibus divinis non erant præfinitæ, sed liberæ, & in cujusque potestate atque arbitrio positæ. Quod si pecus voverat ex eorum genere, e quibus Deo libabantur munera, quidquid ejusmodi Deo consecratum fuerat, id ipsum sacrum erat, nec aliud summitti, ne ve bonum malo, ne ve malum bono commutari poterat. Quod si pecus pecore mutatum esset, & id quod mutatum erat, & id, quo cum erat permutatum, sacratum pronunciabatur. Et si immundum erat pecus, ex quo Deo immortalí rem divinam facere non licebat, pecus ad sacerdotem ducebatur, qui id bona fide æstimatbat, ejusque æstimatio hac in re valebat plurimum; quod si redimiere vellet, præter pecuniam æstimatam, quintam solvebat partem voti & promissi sponsor. (q). Ex his facile potest intelligi Jephthæ votum Jud. XI. fuisse certis circumscriptum conditionibus, & limitibus; se nimirum omne illud, quod ipsi victori obviam processisset, aut immolaturum esse DEO, si ita esset comparatum, ut ad sacrificium idoneum esset, & aptum; aut dicaturum divino cultui, in sanctuario nimirum, si vir esset; si femina, ad preces, vini abstinentiam, & vitam solitariam. atque ita 1 l. c. per AUT explicandum esset, ut recte observat Kimchius (r); quæ sententia aliis confirmatur exemplis, Exod. 21, 16. 17. conf. Matth. 15, 4. Levit. 6, 35. Deut. 17, 9. 12. 2. Sam. 2, 19. 21. Prov. 30, 8. &c.. Nam sacrificium humanum Deo offerre non erat legis divinæ vi permisum, Deut. XII. 30. Nec הילע semper

(q) Vid. Levit. 27, 9 - 13. conf. Reland. Antiquit. p. 360. & Selden. I. N. & G. p. 835. (r) in comment. ad h. l. & in Michlol fol. 15, col. 1. item R. S. b. Melech, in M. I. adjudic. l. c.

per notat sacrificium, sed donum quocunque, aut donativam oblationem DEO offerendam, ut bene observavit Heinsius; quod ipsum ex 2. Reg. 17, 4. Nehem. X. 38. &c. firmatur. Porro filia Jephthæ I. c. v. 37. spatium bimestre a parente petiit, ad deflendam virginitatem; & virgines, Israëlitarum filiæ I. c. v. 40, quotannis iverunt, ut cum filia ista Deo consecrata confabularentur. Verbum enim *לְתַנּוֹתָה* h. l. non significare *plangere*, sed *enarrare, confabulari*, patet ex judic. V. 11. ipsi denique ritus, in votis nuncupandis adhiberi soliti, tale votum Jephthæ, quo hominem in sacrificium destinasset, non admittunt; & si votum vovisset temerarium, ab illo potuisset solvi (s).

## § 7

Quinam autem erant, quibus Deo vota nuncupandi permissa fuit atque concessa potestas? Poterant omnes omnium ætatum, ordinum, mulieres, omnis fortunæ ac loci votorum religione se obstringere, nisi quod filiarum uxorumque vota, quæ in patrum ac maritorum erant potestate, sine illorum suffragatione, h. e. voluntatum & animorum declaratione, rata firma & fixa esse haud possent. Quod si enim filia votum nuncupaverat, seque religione obstrinxerat in domo paterna, in pueritia, si pater, auditio illius voto ac sponsione, quo minus istud faciat, eam non interpellaverit, cuncta erant rata; sin autem pater, auditio illius voto atque religione, qua se ipsam obligaverat, ei obstiterit, tunc omnia illius vota erant irrita. Et si nupta

B

ma-

(s.) Plura in utramque partem legi possunt in Poli synops critic. Tom. I. p. 1059 - 1064. Pfeiffer in D. V. p. 346. & in peculiari dissert. D. V. adjecta p. 1114. sqq. Schmidius in comment, ad h. l. p. 1046. sqq.

7.

8.

2

marito vota hæc susceperebat, maritus autem, re percepta, nihil horum infirmaverat, illius ratæ & firmæ habebantur sponsiones; sin autem maritus, re intellecta, eam, quo minus hæc ficeret, prohibuerat, hac ipsa re exsolvebat, atque irritum pronunciabat votum, quo se uxor obstrinxerat. Sed viduæ atque repudiatae votum, ea ratione, qua fecerat, ratum erat atque validum (t). Et pater quidem omnia filiæ solvere poterat vota eo ipso, quo illa perceperat, tempore; sed maritus illa tantum irrita pronunciare valebat, quibus animæ afflictio continebatur, quæque ad res illas spectabant, quæ inter maritum & uxorem versabantur (u). Sic enim scribit MAIMONIDES (w): *Omne filia votum atque jusjurandum dissolvere potest parens, quocunque die audiuit, quia dicitur Num. 30, 6. Sin eo auditio pater eam prohibuerit, omnia ejus vota & religio, quæ se ipsa obstrinxit, irrita sunt.* Sed maritus non poterat tollere, aut irrita esse jubere, nisi illa vota & Sacra menta, quibus promittebatur afflictio animæ, aut quæ pertinebant ad res, inter illum & illam intercedentes (x); exempli causa, si sacramenti, aut voti spon-

(t) Num. 30, 4 - 16. vid. fusius differentem Maimonid. in Tr. Nedarim c. XI. & c. XII fol. 29. col. 2, sqq. Mischna Tr. נדרין c. X. thes. I. sqq. Edzard, in version. Tr. Avoda sara c. 2. p. 297. (u) vid. Talmud. Tr. נדרין c. XI thes. XI. (w) Tr. נדרין c. 11. §. I. oper. jad chasaka fol. 30. col. 2. (x) conf. ceseph Mischna ad Maimonidis I. c.

sponsione se obligaverit, quod fucare, aut mundo muliebri se exornare nolit, quia Num. 30, 17. præcipitur: atque hac quidem sunt instituta, quæ Mōsī Jehova tradidit inter maritum, & uxorem.

## § 8

Sed & alii, præter filias & uxores, ex Judæorum institutis a majoribus acceptis, votorum solvi poterant spon- sionibus. Quod si enim homo de sua deceperat sententia, ac illum voti sui, atque consilii pœnituerat, re cum doctore, aut tribus aliis e populo, si doctor ibi nullus aderat, communi- cata, eorum sententiis stipulatione sua poterat absolvī. Hæc ex Maimonide discimus, qui rem ita explicatam posuit ob oculos (y): *Qui votum nuncupavit, pœnitet autem eum hujus voti sui, sapientem, seu Doctorem adeat, quo ab illo voti istius solvatur sponsione. Et quemadmodum a jurejurando, ita etiam a voto absolvunt; nemini vero, nisi sapienti, seu Doctori præclaro hæc permissa est potestas, aut tribus e plebe, & litterarum expertibus, si in illo loco accidat, ubi non est doctor: & eadem lingua, qua a sacramentis, solvunt etiam a votorum promissionibus (z).* Quanam porro dicendi formula votorum suorum religione soluti sint ju- dæi, docet R. Mosche Mikkozi (a): *ille, qui jurc-*

B 2

juran-

(y) In Tr. Nedarim c. IV. §. 5. sqq. (z) vid. מסנה כט משלנָה ad l. c. Maimonid. & conf. wulferi theriaca judaic. p. 183.  
(a) in sepher Mizvoth gadol hilcoth schevuoth, fol. 70. col. I.

7.

8.

2

jurando aut voto, inquit, se obstrinxerat, ad illustrem  
 E magna famæ doctorem, aut, hoc ibi non reperto,  
 ad tres e plebe se contulit, illisque exposuit jusjurandum  
 suum, ac votum, seque aliquid, cuius eum nunc pœni-  
 teat, fecisse fassus est; quo facto doctor, aut trium horum  
 princeps ita eum alloquebatur: num te itaque facti  
 piget? cui respondebat: muto factum, E hujus rei  
 ago pœnitentiam! ad hæc respondebat: te itaque vinculis  
 sacramenti E voti relaxo, E omnia tibi remitto (b).

§ 9. Neque etiam hoc loco erit prætereunda impiajudæo-  
 rum opinio, qua vota, quæ tamen erant sponsiones, homi-  
 num arbitrio permisæ, divinis legibus longe præponunt,  
 & propter illa, ut rata maneant & fixa, divini numinis vio-  
 lare præcepta, integrum esse atque permissum arbitran-  
 tur. Sic enim mentem suam aperit MAIMONIDES (c):  
 זמפני מורה נורוּם חלוּת עַל רְבָרִ מְצֹוֹת וְשְׁבֻעוֹת אֲנָן:  
*Votum plus auctoritate valet, quam lex,*  
*non autem jusjurandum.*

§ 10. Et hoc ipsum est, propter quod jam olim divinus  
 ille soter Christus, qui salutem hominum generi dedit, &  
 omnes restituit in libertatem, exprobrando in illos invectus  
 est Matth. 15, 6. vestro instituto Dei præceptum rescidistis.  
 Nimirum lex divina, sine qua nec civitas nec gens, nec  
 hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis,  
 nec

(b) conf. Bechai comment. in legem f. 186. col. 2. Talmud,  
 chagiga f. 10. col. 1. sepher. Mizvoth. Gadol f. 69. col. 4.  
 Schylchan. Aruch, Jore Dea N. 228. § 1. & Eisenmenger,  
 emd. Judenth. T. 2. p. 489 - 495. (c) in Tr, Nedaram. C. 3,  
 § 7. sqq.

nec ipse mundus potest , jufferat ac imperaverat , ut liberi parentes suos pie colerent , ac venerarentur , illorumque , si senectute confecti , summa egestate pressi , & ad ea , quæ ad quotidianum cultum & vietum pertinent , manibus suis paranda , infirmi & debiles facti essent , rationem haberent , illorumque inopiæ , quantum fieri posset , succurrerent . Ab hac cura atque molestia filius apud judæos se liberatus , poterat ex majorum institutis & ritibus votum nuncupare , se omnia illa , quibus parentum inservire posset commodis , Deo in posterum esse consecratum ; ita ut hæc , quibus patris aut matris egestatem ac indigentiam adhuc sustentasset , קרבן f. oblatio postea evaderent : qua voti sponsione obstrictus , hac lege solitus existimabatur . Et harum stipulationum hac plerumque utebantur formula :

קונם שאני עושׂת על פִי אָבָא i. e. facrata res erit , quidquid ego cibi param ori patris mei (d) ; quæ verba clarius exposita ita proponit BARTENU-RA (e) :

הקרש יהא כל מorth שאני עושה מלובא על פִי אָבָא

כלומר שלא יוכל אבא ליהנות ממעשַׁה וְרֵי אָנוּ יוכל להפר :

i. e. qui spondet , omne quod a me fieri potest , sit consecratum , ne veniat in os parentis mei , b. e. ne possit pater commodum percipere ex operibus manuum mearum ; non potest votum rescindere . Unde eleganter illustrari possunt verba Christi difficilia Matth. 15,5. Marc. 7, 11. οὐ μετέστη δὲ λέγετε , οὐ διεπή τῷ πατέρι , ἢ τῇ μητρὶ Δῶρον ὃ ἔστιν ἐμπλόκωσθεν ; quorum hæc est sententia : vos Pharisæi dicitis , si quis patri suo , matrive dicat , spondeo קרבן f. rem sacratam illud esse futurum , quo tu commodum ex me posses percipere ; illum ad præstandum hoc obligatum atque obstrictum esse (f) . Quam sententiam & auctor N. T. Syriaci suo confirmat suffragio , qui verba nostra sic interpretatus est :

B 3

Quic-

(d) vid. Mischnajoth in Tr. Nedarim, C. XI, thes. IV, & conf. Maimonid. ad h. l. R. Nisnim in Nedarim. fol. 85. col. 1. Talmud Nedarim, fol. 89. col. 2. (e) in comment. ad Mischnæ I. c. (f) Supplenda enim est ex simili Talmudi-

7.

8.

2

*Quicunque dixerit patri aut matri, oblatio mea est id,  
unde utilitatem a me capias.*

§ 11. Et hi sunt ritus atque præcepta, quibus vota Israelitarum continebantur. Illi quidem, qui a pontifice Romanorum maximo, cœtus sui capite atque principe, nomen Romanensium traxerunt, existis, ad vota sua monastica corroboranda & stabienda, firma sibi adjumenta propugnacula atque præsidia querere & comparare sustinent (g). Sed illi causa sua cadunt, quia male rem suam gerunt, & non quemadmodum oportet, agunt. Pleraque enim veteris fœderis votorum sponsiones ceremoniis tantum continebantur, & ad illam pertinebant legem, quæ sacræ religionis ceremoniarum jus mandabat, & dudum est abrogata. Nec ulla cultus divini, aut actionis Deo O. M. gratæ atque acceptæ species adferri posse videtur, post antiquatas veteris fœderis leges, ad res civiles & ceremonias cultus divini spectantes, ad quam, etiam sine voti religionis interventu, præstandam mortalium genus non sit obligatum. Deinde his non affingebatur opinio cultus, meriti, atque necessitatis perveniendi ad salutem, in omne ævum duraturam, ut faciunt illi, qui Romanensium castra sequuntur. Denique nec tempore novi fœderis res istæ ullo S. litterarum testimonio, aut ullo exemplo se defendere aut probare potest. Præclare proinde pronunciat B. CHEMNITIUS (h): *in N. T. nec mandatum, nec promissionem, nec exemplum habemus, cultum Dei in N. T. consistere in faciendis votis, nec habemus certum aut expressum verbum, de quibus rebus, & quomodo vota fieri debeant.* Quæ eleganter quoque confirmat divus GERHARDUS (i) *Vota monastica,* inqui-

starum locutione vox: אָסֹר, conf. ad uberiorem hujus loci explicationem, Edzardus in versione Avoda Sara c. 2. p. m. 292-298. Reland. Antiquitat. p. 364. Pocockius in porta Mosis p. 408. sqq. Seldenus de J. N. & G. p. m. 832. sqq. S. Schmidius in fascic. Disput. theol. Disput. 3. p. m. 56. sqq. & Wolfius in curis philologic. ad I. I. c. c.

(g) vid. Chemnitius in Examin. Concil. Tridentin. part. 3. p. m. 47. (h) I. c. part. 3. p. m. 50. (i) in Locor. Theologic. Tom. V. p. m. 407. a. Edit. in fol.

inquiens: ea quidem forma, & fine, quo in papatu hodie fiunt, dicimus esse  
*et Deo degnitatem, nusquam in verbo Dei prescriptam, repugnare libertati Christianae, derogare Christi merito, obscurare opera divinitus mandata, illaqueare conscientias, esse superstitionis, hypocryseos, & idolatriæ plenissima &c. Siquidem homines illis ad perpetuam virginitatem paupertatem, & obedientiam juxta certam quandam regulam vivendi temere se obligant, sub opinione cuitus, & meriti remissionis peccatorum & justitiae coram Deo, imo etiam cum persuasione, esse hunc perfectionis statum, in quo viventes non sibi solum, sed & alii per opera supererogationis gratiam Dei, ac vitam aeternam promererri possint (k).*

## § 12.

Nunc autem instituti nostri jubet ratio, ut memor sim votorum, quæ nostri in præsenti pro salute publica nuncupare decreverunt, non autem votis, ex ceremoniarum ritu, apud Judæos olim pervulgato, susceptis, sed votivis tantum orationibus. Nimirum IV. lectissimi cives Gymnasii nostri, superioris ordinis alumni, hoc novi anni tempore gratum suum animum, gratiarum actione, piisque precibus, erga Deum testari, & pro salute Augustissimi Regis nostri, summorum Procerum, Patrumque, & omnium bonorum, vota facere constituerunt. Primus enim

GE-

(k) conf. e nostratis Chemnitius l. c. part. 3. p. 1. & in Loc. theol. part. 2. p. 188. Buddeus in theol. Moral. p. 468. Kromayer. system. p. 916. Bechmann ad Olear. Theol. Moral. p. 385. Scherzer. Breviar. Hulsem. p. 723. Danhauer. Christ. p. 779 Heunischius thes. disput. p. 487. Gerhard. I. c. T. 4. p. 191. T. V. p. 407. Brochmand. syst. p. 503. e Reform. Wendelinus System. major. p. 1542.

7.

8.

2

GEORG. HENRICUS SPERLING, Stadensis,  
beneficia, per Christi divini hominum liberatoris nativitatem, parta, oratione latina persequetur. Secundus,


JOH. GERHARDUS GOEBEL, Stadensis, sermone latiali explicabit: *annum a divino coronatum numine.* Tertius

NICOLAUS GODOFREDUS von COELLN,  
Neofeldensis, carmine, patro sermone composito,  
laudibus extolle: *maxima illa beneficia, quibus Deus immortalis per totum annum omne genus hominum clementissime cumulat.* Et quartus

BERNHARD. CHRISTOPH. HEUSER, Hadensis, aget de optima & maxime religiosa ratione,  
*novum auspiciandi annum.*

Hos oratores juvenes, craftina luce V. D.  
hora a meridie 2. in Auditorio majori verba facturos, ut terrarum nostrarum Proceres, Patres U. O. conscripti, rei scholasticæ & litterarum Mæcenates, fautores, ac Musarum cultores, clementer benigne, & benevole audire, & benevola sua præsentia & reliquis calcar, in virtutis & optimorum artium itinere alacrius currendi, velint addere, omni, qua fieri potest, humillima veneratione & pietate oro atque obsecro.

P.P. Stadæ d. 6. Januar. A. R. S. clobcccxxxvii.














(151)

synedrii, datis adhuc Sacerdo-  
isque stationariis quibusdam a  
in tempore tandem fuit sopi-

Cap. 18. & 19. tot. quæ unde ha-  
adhuc nobis investigare haut licuit.

§. 19.

ula veteris pacti sacrificia, imo sin- *Mystica via*  
& vestes, Aaron & totus Leviti tuum expli-  
q[ui]averunt sacramenta, ut recte caro *Iesu*  
autoritate subnixus divi *Pauli* *date usita*  
c Custodia Templi, tot sanctioni-  
io ordinata, sua caruit ratione  
imæque rei umbra fuit. Et ex-  
sos Judæos, terræ licet, terre-  
nis cogitationibus affixos, qui sic  
ceremonias sacras, minutissimas  
& rituum, locorum & tempo-  
rations, & *Philo* (c) est testis, &  
historia: nisi quod suæ imagina-  
ero magis, quam divinæ menti  
. Totum certe Tabernaculum, o-  
sa typum continuisse & similitu-  
rerum, satis pro sui acumine in-  
don *Isaac Abarbenel*, cuius sequen-  
: ליחוק קון טנאמין טלען ה'ת. ג'ס. מ'ט'ק  
וילאכ בלא לדרל אוול למי טנאמין על ה'ס'ס'ס  
יליס קטנניש אברל וג'ננה זוניהת להס בנטניא  
עטנרט זוכ כוולה וטבנעה נלייחן עלית זוכ  
מיזולפיס גנייעיס בנטנולויס ופלחיס זוכ  
ט'ז